



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

de obedientum præmio. ca. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**

neq; timore supplicij, sed solo dei amore se subijcit ad  
 obediendum alijs, non mercenarius neq; seruus est, sed  
 potius filius patri æterno perpetua charitate deuinctus.  
 Atq; ideo quidem voluntarie seruit, sponte obtempe-  
 rat, nihil in quo deo gratificari se censet, agit inuitus.  
 Hic certe cum psalmista sancto concinere poterit. Ut fa-  
 ciam voluntatem tuam deus meus volui. Tunc demum  
 vera perfectaq; obedientia est, cum nostra voluntas ex  
 dei pendet voluntate. Cum videlicet quod ipse præci-  
 pit, facimus, non quod caro ad malum prona suggerit.  
 De isto obedientiæ genere est dictum. Melior est obedi-  
 entia quam victimæ, & auscultare magis quam offer-  
 re adipem arietum. Et alibi. Sacrificium salutare est, at-  
 tendere mādatis, & discedere ab omni iniquitate. Quo-  
 niam autem nihil mali est, quod lex diuina non prohi-  
 beat, neq; boni quod non imperet vel præcipiat, omni-  
 um prorsus abstinentia vitiorum, omniumq; exercita-  
 tio virtutum obedientia est, ita vt ne fidei quidem sa-  
 cramenta proderunt nobis, nisi ipsam obedientiæ co-  
 luerimus virtutem. Vnde gentium apostolus Paulus,  
 Circuncisio inquit, nihil est, & præputium nihil est, sed  
 obseruatio mandatorum. Et Iacobus apostolus. Fides si  
 non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Psal. 39

1. Reg. 15.

Eccl. 35

1. Cori. 7.

Iacob. 2.

## De obedientium præmio Cap. XI.

**V**ideamus nunc quæ nam bona pollicetur obedi-  
 entibus dominus. Obediens inter aduersa secu-  
 rus est, dicente dei sapientia. Qui me audierit,  
 absque terrore quiescet, & abundantia perfruetur, ma-  
 lorum timore sublato. In Ecclesia ste quoque dicitur.  
 Qui custodit præceptum, non experietur quicquam  
 mali. Iustus enim & aduersa bene cedunt, dum ea feren-  
 do superant. Huic simile est quod in Isaia loquitur do-  
 minus, & ait. Si me audieritis, bona terræ comedetis.  
 At vero apostoli & sancti martyres quos obedientes

Proue. 1.

Eccl. 8.

Isai. 1.

De charitate Liber VII. 477.

fuisse negare non possumus, angustias, persecutiones, & supplicia passi sunt, quomodo ergo bona terræ comederunt, cum tribulationes in vita tolerarint? Bona igitur terræ illa esse reor, quæcunque nobis materiam præbent exercendæ virtutis. Multa autem vulgo bona putantur, quæ potius mala sunt, quia peccandi occasionem licentiamque suppeditant, ut sunt diuitiæ quæ luxuriam alunt, & dignitates mundi atque honores, quæ superbiam fomenta sunt. Post hæc in eodem propheta dominus ait ad domum Iacob, Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris. Sed quæ pax erat discipulis Christi, quibus ipse dixit. Ite, ecce ego mitto vos velut hagnos inter lupos. Item, Inñcient vobis manus suas & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, tradentes ad reges & præfides propter nomen meum. Postremo ait. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Quæ est igitur pax ista, quæ obedientibus promittitur, si Christi discipulis non pax sed odia hominum offeruntur. De interiori ergo pace intelligendum est, quoniam obedientes mandatis non perturbantur animo, sed semper in spe futuri boni conquiescunt, ac tanto magis iustitiæ operibus proficiunt, quanto minus præsentibus bonis deliniuntur. Longævitas etiam promissa est dicto audientibus, quam quidem beatioris vitæ æternitatem interpretari possumus. Nulla enim felicitas est, in hac lachrymarum valle diu commorari. Illa ergo dierum longitudo quæ finem non habet, ipsis qui obediunt proponitur, dicente ad Salomonem dominus. Si ambulaveris in vijs meis, & custodieris præcepta mea & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciem dies tuos. Victoria quoque aduersus inimicos obedienti spondetur in Leuitico, ubi cuncta eis ex sententia successura recensentur, qui dei mandata obserauerint, atque inter multa. Persequemini, inquit, inimicos vestros, & corruent coram vobis, eadem repetuntur in Deuteronomio. Et in Paralipomenon libro legimus, Amasiam regem I V D A cum Syris congressurum

Isa. 48.

Luc. 10

Luc. 21.

3. Reg. 3.

Leu. 26

Deut. 7

2. par. 25.

Amasias.

- centum talentis centum milia militum conduxisse, deinde ut viri dei iussis obediret, dimisisse conductitios, & cum paruo suorum numero ingentes hostium copias fudisse victoriaque potitum. Itaque qui cum paucis vicit, victus cum multis fuisset si non obedisset. Dei quippe est (ut ibidem dicitur) & adiuuare & in fugam conuertere. Quia in psalmo ait: Si populus meus audisset me: Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Præterea in Prouerbis est dictum: Vir obediens loquitur victoriã. Porro præstantissima victoria illa est, qua spirituales pro sternuntur nequitiæ, caro inimica spiritui, & utriusque diabolus, a quibus vici perniciosissimum quidem est. Cæterum hos etiam facile subiugabimus, si obedientiæ sanctæ armis muniti fuerimus. Discant nunc reges terræ cui & ipsi parere debeant. Regni stabilitamentum est observatio mandatorum dei. Sic enim ait dominus ad Hieroboã: Si audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem quo modo ædificauit Dauid domum, & tradam tibi Israel.
- Pfalm. 30.** Ad Iehu quoque regem Israel locutus est: Quia studio se egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Magis tamen necessarium est hominis regnum, nosse seipsum regere, et animi motibus cum ratione imperare. Nec mirum quod obedientiæ merito regna conseruentur, quandoquidem nihil est, quod obedientium precibus denegetur. In psalmo legimus: **Pfalm. 98.** Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius, inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. Quare autem hæc continuo subiunxit, Custodiebant te stromonia eius, & præceptum quod dedit illis. Eadem **i. Iohan. 1.** Iohannis apostoli sententia est in epistola dicentis, Quæ

quid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Obedientia postremo facit, ut inter amicos & discipulos Christi censi mereamur, postea tandem cum Christo quæque beati futuri, Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Alibi autem ait: Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Vis audire manus his? Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est. Ad beatitudinis autem promissionem pertinet, quod in Ieremia clamans ait: Audite vocem meam, & ero vobis deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Hoc aptius discimus in euangelio dicente salvatore; Si quis sermonem meum servauerit, mortem non videbit in æternum. Et iterum: Oves meæ, inquit, vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Cauillabitur aliquis et dicet, Deo et Christo obedientibus talia promittuntur, non his qui episcopis vel sibi præfectis parent. Audiat ergo ipsum dominum ad illos quibus ecclesiam commendabat dicentem, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Deo igitur patri te o monache obedisse existima, cum seniori tuo obedieris, & bonorum quæ hactenus dicta sunt, te compotem fore spera, securitatis, pacis, iustitiæ, longæuitatis, victoriæ, regni, exauditionis, cum Christo amoris, in deo beatitudinis.

## De inobedienciæ poena.

## Cap. XII.

**E**T cum tot bona obedientium sint, haud dubium quin totidem mala eorum, qui obedire contemnunt, habeantur. Ex his aliqua nunc breuiter perstringenda sunt, quæ diligentius ad obedientiæ opus accingamur, cum cognouerimus quæ acerbè contumacium atque proteruorum inobediencia plectatur. De illis qui